

IOSEPHI STEPHANI
EPISCOPI VESTANI
DECANI ECCLESIAE VALENTINAE

IN CAUSAM HENRICI BORBONII

AD

Episcopos, et presbyteros, ceterosq.
catholicos regni Francorum

PARAENESIS.

Valentiae
MDXC

DILECTISSIMIS
Fratribus Episcopis, et presbyteris,
ceterisque Catholicis regni Fran-
corum: Iosephus Stephanus
Episcopus Vestanus, SAL.



EFFLAGITARVNT NONNULLI,
fratres carissimi, nec sine conuicio, ut pro
religionis amore, pro Fidei pietate, pro
cōmuni Ecclesiae commodo dicerem de
causa Henrici Borbonii; et ita dicerem, ut me Episco-
pum, id est, ecclesiasticae libertatis, et veritatis custodē
ac vindicem recordarer. Quae res me diu anxium ac so-
licitum tenuit, cum iam relictis concertatoriis ac quasi
forensibus nostrae religionis causis, quas saepe, ut scitis,
Romae aduersus publicos fidei hostes, et verbo et scri-
pto disserui, animū alio appulerim; et familiari otio, et
quiete contētus meipsum a rebus gerendis abduxerim,
ut soli Deo immortali vacare possem. Sed publica cau-
sa et commune malum, quod religioni impendet, versat
ac agitat mentem; ut mei otii ac studii immemor, cogar
vna vobiscum flere et lamentari, non tam calamitatem
vestrā, quam vestrae calamitatis neglectum, id est, extre-
mū Galliae, et totius orbis Christiani periculum. Nec
parū ad publica arcenda damna luctus ac lacrymae con-

*Luctus et la-
crymis Dei
misericor-
diam postu-
landā, quan-
do facile ex-
ternareme-
dia nō sup-
petunt.*

ferunt, cum Paulus veritatis praeco ad eas tanquam ad publicorum malorum vindices confugerit, ut ex vrbe Corinthiorum portenta et hominum monstra depelleret. Et vos, inquit, inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Sed hoc cur luctu, priusquam ira et acerbitate poenae, vindicari iussit Apostolus? cur agendum voto et precibus apud Deum voluit, ut tolleretur malum, id est, ut lugētium dolore flexa et ad vindictam excitata Dei mens, noxios quosque ac pessimos reipub. perturbatores auferret? Ni mirum absque dubio, nisi quia obiurgationibus tantum malum emendari, aut communi aliquo supplicio facile expiari non poterat. Quod plane accidit, dum ad flagitia perpetranda maiorum auctoritate et imperio cogimur; et ita cogimur, ut sine multorum ruina vitari et emendari mala non possint. Plerumque etiam fit, ut sub hypocrisi et ficti consilii ratione quamplurima mala lateant, et quasi in venis et reipub. visceribus haereant; quae mētis aciem sub specie pietatis praestringunt. Concutitur praeterea religio saepe quidē specie religionis, impugnatur veritas, non tam falsitate quam negligētia et tarditate consilii, cum ea non adhibentur a principibus viris remedia, quae veritatem et religionem a calumniis liberare possent.

II.
Ad preces
confugiendū
esse, si ma-
la, episcopo
rūtaritate
His plane de causis admonebat Apostolus, malum de medio per preces, luctus et vota auferri debere, quando maiores monere, corrigere, arguere negligebant; et audaciam committendi non tollebant, sed tolerabant:
pesti-

pestilentiam consentiendi, pigritiam corrigendi, negligentiam vindicandi non fugiebant, sed cunctando fovebant. *Et vos, inquit, inflati estis, vos inquam, quos praeposuit Dominus regere Ecclesiam Dei, quos oportet integerrimos et incorruptissimos seruari, solo fastu nominis et tumore auctoritatis gloriamini, loci sanctitate et cathedrae dignitate neglecta?* Ergo cum ad talem vindictam postulandam necessitas cogit, humilitas lugentium debet exorare Dei misericordiam, quam saepe principum repellit ac reiicit superbia, quam etiam eorum inanis fastus et tumor excludunt.

et negligentia foveantur.

Aug. cōtra Par. lib. 3. cap. 1.

1. Cor. 5.

Audio quidem nonnullos reperiri qui Politicorum specie Christi nomen infamant, atque in maledictum et blasphemiam nomen Domini Salvatoris inducunt. Accepi illos avaritiae, cupiditati, rapinis studere; et esuriētibus in Ecclesia fratribus, ut Cyprianus suis obiiciebat Episcopis, habere argentum largiter velle; fundos insidiosis fraudibus rapere, et dilatare, et fictis, compositisque criminibus in pecunias et opes subditorum inuadere. Scio postremo eosdem per varias sententias in grauissimum errorem deuolutos, Borbonii, id est, haeretici partes; infamemque causam, et illius contra religionem flagitia, sub spe veniae, tueri voluisse, suaque commoda, quae ab haeretico expectant, veritati et religioni praetulisse. Quibus artibus, quae non ex Dei disciplina, sed ex diaboli luxu descendunt, sibi plaudunt; adulantur et lenocinātur haeretico, nec fletu ingemiscunt, nec ut malum publicum auferatur precibus ambiunt, aut ge-

III.

In suorū avaritia, Borbon. maximum suae cause patrociniū constituit.

Sermone de lapsis.

Aug. lib. 3. cōtra epist.

Par. cap. 2.

A iij mitibus

mitibus exorant ; sed inhiant copiis, diuitiis incubant, inexhaustam sitis libidinem fouent, cum magna iactura ecclesiasticae disciplinae, et foenore detrimentorum. Et haec quidem et cōmittunt et defendunt; dum seipso legis interpretes et doctores iactant, et suū munus docendi et interpretandi ita cōmendant, vt non modo ab aliis praemoneri aegre ferant, sed etiam monitores obiurgent, quasi per illos Episcoporum muneri detrahatur.

III.
Episcopi
a quo ani-
mo ferre de-
bēt, ab aliis
de reb. gra-
uissimis ad-
moneri.

1. Timot. 3.

Epist. ad
Heliōdo. de
laude vitæ
solitariae.
Ex inter-
pre. Hiero-
nymi.

Ego vero in Episcopis vtrumque et docendi et discendi munus agnosco, docendi quae a maioribus acceperunt; discendi quidē dum non erubescunt ab aliis addiscere, quae nec experimento, nec artibus, nec prudentia didicerūt. Et licet prudētissimum Episcopum et in omnibus rebus experientissimum statuamus; semper tamen oportet illum inquirere, aliorum exquirere consilia, praemeditari omnia diligēter, studiose ab aliis addiscere, quae subditorum vtilitati et commodis cōferant. Nam quid aliud quaeso sibi voluit Apostolus Paulus praecipiens ac iubens Episcopum esse διδασκαλικόν, quam ipsum non modo doctorem esse, sed etiam, vt vocem Graecam interpretatur Hieronymus, docibilem; id est, non studio praesumptionis contumacem? Quid enim Scriptura dicit? *Oportet, inquit, Episcopū esse irreprehensibilem, sobrium, pudicum, prudentem, ornatum, hospitalem, docibilem.* Quis igitur ex huius verbi sensu nō videt, Episcopum eum esse oportere, qui non praua et falsa defendat, sed qui ab aliis suscipiat prudentiae et veritatis plena consilia? *Docibilis enim, vt Pauli locum interpretatur*

Cypria-

Cyprianus, *ille est, qui ad discendi patientiā est lenis ac mitis: quia & ille melius docet, qui quotidie crescit & proficit discēdo meliora. Quod ipsum quoque idem Apostolus Paulus docet præmonens, ut si alii sedenti melius revelatum fuerit, prior taceat*. Sic Augustinus in laudem Episcopi quem designat Apostolus, ponit, non tam doctum esse quam docibilem, id est, ut non solum scienter doceat, sed etiam ut patienter discat. Debet enim esse doctus in his quae a maioribus firmissima veritate percepit, sed docibilis in his quae sui negligentia, vel ingenii tarditate minus aduertit. Quod et alibi iubet Apostolus dicens; *seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, δὲ ἀκίνητον*, id est, ut omnes docere, et admonere patienter possit, et constanter discere non erubescat.

Videamus ergo, fratres dilectissimi, pro Christiana pietate, et communi reipub. bono, quod scio vos maxime expetere; an illi, qui nunc Borbonii, id est, flebilis ac tabidi haeretici causam excipiunt, eamque constanter, vel potius obstinate defendunt; edocti ex Scripturis sacris fuerint; an velint fieri ex Patrum consilio et auctoritate docibiles. Ego enim, licet Christiani pudoris existimem interdum tacere, et humilitatem silentio consolari, potius quam in tanto seditionis incendio dicere: tamen cum res ipsa exoptulat, religionis et fraternitatis dignitas adhortatur, etiam importune loqui, et importune alios admonere et exorare, in maxima Episcopi laude constituo. Scio inter vos esse quamplurimos, qui sacras literas ab adolescentia di-

A iiij dice-

Epist. 74. ad Pompeium.

1. Cor. 14.

Lib. 4. de baptis. contra Donatistas, cap. 5.

2. Timot. 52

Primatius & Remigius Remensis, in hunc locum.

v. Modeste admonentur, an velint fieri ex scripturarū auctoritate docibiles.

2. Tim. 4.

dicerunt, quorum studium meo studio praefero, qui et
meipsum reprehendere et docere possent; sed iuuat in-
terdum maxime, discordes ab exteris testibus et calami-
tatum spectatoribus admoneri, ut saltem verecunde ac
modeste agant, et verecundius in re omnium grauissi-
ma agendum putent.

VI.

*Causa Hæri-
ci nō ex Po-
liticorū ra-
tionib⁹, sed
ex scriptu-
rar. thesau-
ris investi-
ganda est.*

*Aug. lib. 3.
cōtra epist.
Par. cap. 2.
& li. 2. cō-
tra Donati-
stas, cap. 4.*

Nec credendū est, ut causam aggrediar, tot ab haere-
tico commissa facinora tegi nunc posse mendaciis, aut
simulatione occultari, aut tergiuersationibus defendi;
cum nō ex Politicorum rationibus, sed clarissima veri-
tatis luce, id est, Scripturae sacrae sententiis; causae exa-
minari possint, quibus ille contra ius fasque, contra o-
mnes diuinas atq. humanas religionis leges, parat florē-
tissimum Galliarum regnum inuadere. Sunt enim cae-
lestium Scripturarum oracula, tanquam sincerissimum
speculum, et veluti staterae nō dolosae, sed probatae ex
thesauris dominicis; ubi non ex humano sensu, sed ex
auctoritate diuina, mortalium actiones ac rerum om-
nium momenta pensantur.

VII.

*Quos vo-
luit Domi-
nus ad reg-
nū eligere,
& quibus
cōditionib⁹
designare.*

Deut. 17.

Tempore ergo illo quo Dominus gentē Hebraeā le-
gibus institutisq. formabat, et poenis audaciā lasciuien-
tis populi coercerebat; praeuidens futurū esse aliquando,
ut populus Sacerdotum gubernationis pertaesus, Re-
gem postularet; instituit ne alienigena in Regem elige-
retur, aut ad reipub. gubernacula admoueretur, ne for-
tasse eius improbitate atque consiliis violaretur pietas,
foedaretur religio. *Cum ingressus fueris, ait Scriptura,*
terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis
eam,

eam, habitauerisque in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes; eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non sit frater tuus. Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, ne reducat populum in Aegyptum equitatus numero subleuatus; praesertim cum Dominus praeceperit vobis, ut nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Perpendamus nunc, an haec omnia Dominica praecepta Henricus tenuerit; an populorum assensu, sine repulsa, regnum ambierit; Domini auctoritate electus et designatus fuerit; frater, an alienigena extiterit; populum in Aegyptum reducere voluerit, id est, plebem Domini erroribus inuoluere.

Primum dici non potest populorum voluntatē, ciuitatum studium, catholicorum suffragia atque consensum ad Henrici cupiditatem accessisse; cum maximae et amplissimae vrbes, in quibus viget totius regni administratio, et ordo gerendarum rerum, aduersentur et repugnent; illumq. ad vindicandum religionis et pietatis decus excitatae, ut indignum eiiciant, ut alienum excludant. Non illum regnandi cupiditate flagrantem Principes sanguinis, nisi perpauci, et ii quidem falsa hominis expectatione decepti, aut fortasse Politici, id est, non aperte haeretici, praemiisq. corrupti, aut cupiditate nouandarū rerū excitati, exceperunt; non veri sacerdotes ac religiosi, in quibus praecipua totius Fidei cura consistit, in Regem conclamarunt: sed populorum faex, vi-

VIII.
Henricus
contra Do-
mini prae-
cepta non ex
populi con-
sensu, sed Po-
liticorū vo-
luntate desi-
gnatur.

B

tiofo-

2. Reg. 16.

tiosorum sentina, impiorum eluuius, haereticorum fax et ignis ad conflanda seditionis incendia, turbo et tempestas turpissimorum et contaminatorum hominum, ad reipub. facienda naufragia. Conflatus, dices, exercitus eum designauit in Regem? At ex quibus? ex impurissimis sane hominibus collectus, ex haereticis tanquam ex omnium malorum labe concretus. Siccine eligi oportuit Regem Gallorum? sic Regem Christianissimum a pseudochristianis decuit designari? Chusai Arachites, vir prudentissimus, cum ad Absalonem salutandum accessisset, rogatus cur non Dauidis partes sequeretur; *Nequaquam, inquit, quia illius ero, quem elegit Dominus, et omnis hic populus, & vniversus Israel, et cum eo manebo:* qua ergo mente atq. consilio, nonnulli causam Henrici sustinere, et cum eo manere audebunt; quem celeberrimae ac maxime Galliae partes, ut regni perniciem atq. pestem eiiciunt?

IX.
Ceterae nationes pro-
bos viros
ad reipub.
habenas ad-
miserunt,
quod nunc in
Henrico ad-
mittendo non
seruant Po-
litici.

Ceterae nationes quae erant per circuitum, ex quibus populus Hebraeorum assumpsit exemplum, nunquam flagitiosis, parricidis, facinorosis, sacrilegis, impiis, impurisq. hominibus regnum detulerunt, sed iustis et probis; quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat; et homini ob impietatem et haeresim semel, iterumq. exheredato et eiecto, florentissimum imperium deferetur? Bubequae rustici, opiliones, pecuarii, aratores, subulciq. runcantes, piscatores, nautae, et huiusmodi hominum genus, si Regem sui ordinis eligerent,

rent, optimum virum, legumq. suarum, ac suae religionis incorruptum seruatorem et custodem, vt ait Epictetus, designarent; et Christianissimum Galliae regnum admittet haereticum? Pueri ludentes recte facientibus regnum offerunt, illumq. licet per iocum et naeniam, Regem instituunt, cuius fuerint probati mores, et recte ad virtutem compositi; cui fides, pietas, religioq. non desit: et amplectetur Gallia fidei perduellem, et pietatis desertorem haereticum? Deioces ob fortitudinem et prudentiam maxime commendatus, suffragiis et faustis omnium acclamationibus Rex Medorum eligitur: Vexores ob iustitiam Rex Aegypti a populis dicitur: Tanais Scythiae Rex a multitudine designatur: Numae Pompilio ob temperatum animum, praecclarisq. artibus excultum, regnum decernitur; cum virtutem et gloriam potius quam dominationem quaereret: et Galliae eum sibi asciscunt Principem, qui debellata religione, fugatis, occisisq. sacerdotibus, ceteram plebem in Caluini haeresim minis, armis, terroribus impulit? An non metuent eum quem arma cingunt, ferri et gladiatorum fulgor insuetus circundat, bellica tormenta comitantur; vt simulatione perfidiam, pactione seruitutem, spe religionis, haereses, rapinas, et discordias pariat?

Apud Sto-
baeum.

Horatius li
br. i. epis. i.

Herodotus
lib. i.

Iustin. li. i.

Tit. Linius
dec. i.

Propter hoc, ait Scriptura, indisciplinatae animae errauerunt; dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctae; vinculis tenebrarum & longae noctis compediti, inclusi sub tectis fugitini perpetuae prouidentiae iacuerunt: & dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso

x.

Reges infideles et haeretici catholicis iure imperare non possunt.
Sap. i 7.

B ij

obliuio-

obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrende, & cum
admiratione nimia perturbati. Indisciplinatas animas, si-
 ue ἀπαίδευτος vocat Salomō haereticos; qui fidem, et pie-
 tatem proiecerunt, quos fugiēdos et detestandos admo-
 nuit Paulus, cum stultas et ἀπαίδευτος quaestiones serāt,
 quae maxime ad impietatem proficiunt, et religionem
 euertunt. Ab eisdem quoq. recedēdum praemonuit Ec-
 clesiasticus, dum ait: *Non cōmunices homini indocto, ne male*
de progenie tua loquatur. μὴ πρός παῖδα ἀπαίδευτα. caue, inquit,
 ne cū homine indisciplinato colludas, id est, non modo
 seria, grauiq. sed ne quidem iocosa et vrbana communi-
 ces; ne si tuam iocandi simplicitatē exceperit, tuos maio-
 res in discrimen dignitatis, et te ipsum in dimicationem
 existimationis adducat. An non haec vobis euenient,
 fratres carissimi, si indisciplinato, qui de suo ineruditio-
 nis mendacio non confunditur, communicatis? Nonne
 maiores vestri, aui, proau, atuiq. despectui erunt; si eo-
 rū religio tot Martyrum sanguine propagata cōtemni-
 tur? An nō regni iura soluētur, si religio quae totius est
 regni cōpages atq. connexio, soluitur? Et haec quidē ma-
 la iā vobis impēdent, si haeretico Regi colluditis, eiusq.
 perfidiam simulatis, cū catholicā fidem subdole et fictē
 mentiatur. Quisquis ergo fuerit indisciplinatus, et a fi-
 de naufragus; licet dominari tentet nationi sanctae, id
 est, populum Dei, eiusq. Ecclesiam sibi subiicere, Di-
 uinasque leges suo imperio subiugare; iure a regno re-
 pellendus erit: cum Dominus Pharaonem Aegyptium
 ob audaciam imperandi nationi sanctae, obscuris tene-
 bris

Rabano li.
 2. cap. 12. in
 Ecclesiast.

2. Timo. 2.

Ecclesiast. 8.

Exodi 10.

bris caecitatis obuoluerit; et ob libidinem inuadendi Exodi 14.
 populum Dei, fluctibus immersum extinxerit. Haec
 eadem plane minatur Lucifer Episcopus Caralitanus Lib. 1. pro
S. Athanas.
 Constantio Ariano, qui antichristum pro Christo sus-
 cepit; qui Arianā perfidiā pro catholica fide amplexus
 est, in quem acerrime inuehitur his verbis: *Ausus fuisti
 tentare, dominari velle Dei populo, subiicere velle Ecclesiam
 Dei tuo regno, Diuinam maiestatem illis tātum metuendam,
 tuo futili imperio: & hoc quidem fecisti, quia nesciens sis,
 scriptum esse de vobis tyrannis: propter hoc indisciplinatae* sap. 17.
*animae errauerunt: dum enim persuasum habent iniqui posse
 se dominari nationi sanctorum, vincti tenebrarum catenis, &
 longa nocte compediti inclusi sunt sub tectis fugitui. Conspicis
 iam te esse inter illos Dei populi persecutores de quibus legisti,
 quod vna catena tenebrarum sunt omnes colligati.* Haec ille.
 Quae quidem omnia eisdem verbis Henrico aptari
 possunt, qui eiectus iam de Ecclesia, et spirituali mu-
 crone truncatus, rabido daemonum ore discerpitur.

Sed esto, quod tamen concedi non potest, vt iure suc- XI.
Licet Hen-
ricus iure
successionis
regnū ambi-
ret, sine po-
pulorū con-
sensu admit-
tinō potest,
 cessionis, illi regnum obtigerit: num populis sublata
 est potestas, ne fidei corruptorem in regnū admittant,
 aut a regno deturbent? Reges Iuda, qui legitimo impe-
 rio Dauidi succedebāt, cui iureiurando promiserat Do-
 minus, nunquam ex eius posteritate defuturū regni suc-
 cessorem; inuito populo imperiū hereditarium adire nō
 poterant; et haereticus inaudito et plane nouo more,
 cum ei omnes aduersentur, religio impediāt, publica iu-
 dicia, legesq. prohibeant; ad Galliae regnum euerten-
 dum

2. Paral. 10. dum et opprimendum aspirabit? *Profectus est Roboam,*
 3. Reg. 12. *ait Scriptura, in Sichem; illuc enim cunctus Israel conuene-*
 2. Paral. 22. *rat, ut constituerent eum in regem. Quid deinceps? Consti-*
 2. Paral. 26. *tuerunt habitatores Ierusalem Ochoziam filium eius minimum*
 2. Paral. 33. *Regem, pro Ioram Rege Iuda. Quid autem post secutum*
 2. Paral. 36. *est? Omnis autem populus Iuda filium Oziam annorum sex-*
 2. Paral. 36. *decim constituit Regem pro Amasia patre suo. Sed quid de-*
 2. Paral. 36. *inceps narrat Scriptura? Porro, inquit, reliqua populi mul-*
 2. Paral. 36. *titudo, caesis iis qui Amon percusserant, constituit Regem*
 2. Paral. 36. *Iosiam filium eius pro eo. et alibi: Tulit populus terrae Ioa-*
 2. Paral. 36. *chaz filium Iosiae, & constituit Regem pro patre suo in Ieru-*
 2. Paral. 36. *salem. Ergo licet Roboam, Ochozias, Ozias, Iosias, Ioa-*
 2. Paral. 36. *chaz, possent regnum Iuda iure successionis postulare;*
 2. Paral. 36. *populi tamen iudicium expectare voluerunt, ut ipsis*
 2. Paral. 36. *reipub. cura legitime mandaretur: et haereticus regnum,*
 2. Paral. 36. *repugnante religione, ac bonis omnibus auersantibus,*
 2. Paral. 36. *petulanter inuadet?*

XII.
 Hæricus ar
 mis regnum
 inuadere
 non potest,
 cum armis ab
 eo iure re-
 pellatur.

Armis, inquit, posse regnum iure successionis debi-
 tum occupari? astruam quoque haereticum armis a succes-
 sionis iure posse repelli. Quod si hoc iure fiat, profecto
 illud fiet iniuria. Nam si is qui regnum hereditario iure
 affecutus est, ob haeresim deturbari potest imperio;
 profecto haereticus antequam regnum inuadat, pote-
 rit ab eodem excludi, et ab spe potiundi, si quae illi in-
 iecta est, omnino priuari. Sic Athalia, que diu mulie-
 bri licentia semini regio insultauerat, Ioiadae pontificis
 iussu a militibus arrepta, et iuxta palatium regium inue-
 cta occiditur, cum aras Baal sanguine imbuisset. Sic
 Ama-

Amasias primum quidem a populo occulte et per insi-
 dias ad necem conquisitus, mox deinde aperta et velu-
 ti publica auctoritate, iuste et impune interemptus est,
 cum deos filiorum Seir adorandos in sanctam urbem
 intulisset: *Ab eo enim tempore quo Amasias recessit a Do-* 2. Para. 25.
mino, ut ait Scriptura, tetenderunt ei insidias, deinde fugi-
entem in Lachis occiderunt. Urbs Roma feminarum vio- Tit. Liuius
 latores abrogauit imperio; Childericus ob stupra et li- lib. 1.
 bidines iure successionis a Gallis abdicatur; Odo, qui Robert. Ga
 Normanos Lutetiam obsidentes oppresserat, cum re- guin. lib. 1.
 gia abuteretur potestate, regno Galliae, ad quod popu- Froduardus
 li consensu fuerat electus, communi procerum consilio in vita Ful
 exuitur, et Formosi Pontificis litteris admonetur, ut conii, Mas-
 Apostolicae sedis sententiam formidaret: Eduinus a so lib. 2. an-
 populis Angliae regno expellitur; Henricus a princi- nal.
 pibus viris Hispaniae ob multa in Ecclesiam commissa Surita lib.
 scelera, regno Castellae exigitur; cum prius eius imagi- 18. annal.
 nem regio ornatu exuissent, et e pulpito, toto spectan- cap. 2.
 te populo, deturbassent: et haereticus spectatae inter
 omnes audaciae et impietatis, efferetur in regnum? Ma- 1. Macha. 2.
 thathias et amici eius maxime commendantur, ut ait
 Scriptura, *quod persecuti sunt filios superbiae, & obtinue-*
runt legem de manibus gentium & Regum, & non dederunt
cornu peccatori, cui non est portio in Ierusalem, nec com-
municatio in Ecclesia Dei; et regnum Galliae haereti-
co, eiecto, abdicato, abstento tribuetur? Quae enim est
conuentio lucis ad tenebras, quae communicatio Christi ad 1. Corin. 6.
Belial, aut quae pars fidelis cum infideli? Iuliano Apostata
 mor-

Zonaras
tom. 3.

mortuo, cum omnium consensu Iouiniano viro clarif-
simo ac catholico imperium deferretur, negauit ipse se
posse exercitui pagano praeesse; et Christianissimi po-
puli impium ad regni gubernationē admittent, patien-
turq. haereticum catholicis vrbibus imperare?

XIII.
Ex Dei vo-
luntate non
potest desi-
gnari Hen-
ricus, cum a
sede Apo-
stolica reg-
ni repulsa
tulerit.

1. Reg. 10.

1. Reg. 16.

3. Reg. 1.

4. Reg. 9.

1. Reg. 10.

4. Reg. 9.

Syn. 14. To-
leta. ca. 74.

Sed videamus, an Domini voluntate designatus, vel
potius eius auctoritate fuerit eiectus et reprobatus Hē-
ricus. Si olim in populo Dei Regum designatio a Sacer-
dotibus et Prophetis fiebat, cum Dei voluntatem prae-
sentirent, eamq. signo externo, id est, sacra inaugura-
tione comprobarent; quonam pacto erit a Deo desi-
gnatus Henricus, quem non Sacerdos aut Propheta
Dei, sed Caluinistae turpissimi ac impurissimi scelerum
mystagogi ad regnum occupandum impulerunt? Nam
si veterum monumenta euoluamus, non aliter profecto
Saul, Dauid, Salomon, aliiq. permulti quam per sacram
vnctionem adepti sunt regnum; nec aliter Prophetarū
filius, quem Eliseus vna cum olei vase trāsmiserat, Iehu
regnum destinauit; vt domum Achab interneccione de-
leret. Hinc illae voces in Scripturis sacris audiuntur; Ec-
ce vnxit te Dominus super hereditatem suam in Principem.
et alibi: Haec dicit Dominus, vnxi te Regem super Israel. qui-
bus verbis legitimum ius regni, et auctoritas dicēdi ius
publicum tribuebatur. In Ecclesia vero Dei quae super
gentes et regna potestatem accepit, non solum Reges
a Sacerdotibus designantur; sed etiam grauissimis poe-
nis prohibentur populi, ne inauguratum Regem eiici-
ant, aut alienum absq. Ecclesiastica auctoritate consti-
tuant.

tuant. Neq. enim regna per nefas affectari, aut ciuium seditionibus atq. discordiis petulanter inuadi, aut proiecta et effrenata dominandi cupiditate occupari debēt; ne magna imperia magna quoq. latrocinia censeantur. Nam quae spes populis contra hostes laborātibus erit? quae fides cum aliis gentibus in pace credenda? quod foedus non violandum? quae hostibus iurata sponsio stabilis permanebit, si ille regno praeficitur, qui animo retinet subdolae impietatis perfidiam?

Qua de re recte ac sapiēter, sicut omnia actatis illius, in conciliis Toletanis cautum est; ne aliquis praesumptione regnum arriperet, sed consensum Sacerdotum expectaret; ne fortasse imperium Gotthorum tot laboribus partum et auctum, Fidei praeuaricatione solueretur. Sed praestat Patres Toletanos loquentes audire: *Nullus, inquiunt, apud nos praesumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones ciuium, nemo medetur interitus Regum; sed defuncto in pace Principe, primates gentis cum Sacerdotibus, successorem regni consilio communi constituent, ut dum vnitatis concordia a nobis retinetur, nullus patriae, gentisq. dissidium per vim atque ambitum moliatur.* Accedebat praeterea, nullum ad Regiam dignitatem posse conscendere, nisi prius publico sacramento firmaret, se nunquam catholicam Fidem violari permissurū; sed hominibus ad praecipitia infidelitatis tendentibus aditum praecclusurum. His profecto Episcoporum placitis a regni successione pellebantur, qui absque sacerdotum consensu regnum inuadebant, vel praesumptione

XIIII.
Sine Episcoporum
consensu Re-
ges Hispaniae
designari non
pote-
rant.

Tolet. II. cap. 74.

Tolet. V. cap. 3.

Concil. IV. cap. 74.

Syn. Tolet. VI. cap. 3.

C ne ty-

Sub Ludo-
uico, lib. 2.
cap. 1. & 2.

Hinemarum
in epistolis.

Papirii
Massoni
Annalium
libro 3.

ne tyrannica eius fastigium occupare tentabant, aut religionis neglectu perfidia, impietatiq. fauebāt. Eadem plane ratione in Concilio Parisiensi Regibus praecipiebatur, ut Ecclesiae defensionem ac tutelam susciperent; malum quod in repub. excitatum erat, intuitu suo dissoluerent, in impios saeuirent, et super eos fornicem, in victoriae signum imponderent. Idem plane in Synodo multorum Episcoporum in Neustria ex auctoritate Romani Pontificis gesta, praescriptū videtur. Vbi Hugoni Lotarii Regis filio denuntiatur, cum regni peruationem aduersus Ludouicum et Carolum moliretur, ut iuxta antiquas leges, fortasse Toletanae Synodi praescriptum, a tantis malis quibus Galliam infestabat, seipsum cohiberet; malorum, calamitatumq. socios ab se disiungeret, et a regni peruatione cessaret; alioquin ipsum excommunicationi futurum obnoxium. Sed ne fortasse Reges Gallorum a Fidei pietate aberrarent, antequā regno inaugurarentur, Fidem catholicam seruatuos et defensores publice promittebant. Quod plane in antiqua formula, qua Rhemensis ecclesia uti consuevit, praescriptū est, et in auguratione Philippi I. seruatum. quae sic habet: *Anno millesimo sexagesimo, Indictione duodecima, Henrico regnante Tricesimo secundo, & quarto Cal. Iun. in die Pentecostes, Philippus Rex hoc ordine in maiore Ecclesia ante altare sanctae Mariae a vener. Archiepiscopo consecratus est. Inchoata Missa, antequam Epistola legeretur, Dominus Archiepiscopus vertit se ad eum, & exposuit ei Fidem Catholicam, sciscitans ab eo, virum hanc crederet,*

deret, & defendere vellet: quo annuente, delata est eius professio, quam accipiens ipse legit dum adhuc septemnis esset, eiq. subscripsit. Qua perfecta posuit eam in manus Archiepiscopi. Deinde accipiens Archiepiscopus baculum sancti Remigii, differuit quiete & pacifice quomodo ad eum maxime pertineret electio Regis & consecratio, ex quo sanctus Remigius Ludovicum baptizavit & consecravit. Differuit etiam quomodo per illum baculum hanc consecrandi potestatem & totum Galliae principatum Ormisdas sancto dederit Remigio, & quomodo Victor Papa sibi & Ecclesiae suae concesserit. Tunc annuente patre eius Henrico, elegit eum in Regem post eum. haec ibi. Videat nunc Henricus, an in eo eligendo sacerdotum consensus accesserit, an regno Galliae perniciem et damnum intulerit, an iniurias in Dei Ecclesiam illatas persecutus fuerit, an haereticis, quos suae causae patronos ac defensores habet, impunitatem promiserit, ut libere de religione sentirent.

Quod cum faciat, Fideique integritatem expugnet; quid miratur, si ab Ecclesia regni repullam ferat? quid dolet, si ad motis omnibus machinis, regno expellitur? praesertim cum ea sit Pontificum auctoritas, ut terram Gigantum et violentiorum tyrannorum detrahat in ruinam; eosq. quasi pilam plurimis ictibus concussam agitet, et a gradu et dignitate deturbet. Dissoluit enim baltheum Regum & praecingit fune renes eorum; ut parem poenam violatoribus rependat. Nam cum ipsi regnum Dei, id est, Ecclesiam dissolvere, et armis oppugnare contendunt; saepe quidem eisdem cogitationibus capiuntur,

xv.
A sede Apostolica saepe Reges a sua dignitate deiectioni sunt.
Esai. 26.
Iob 12.

C ij quas

quas cum summo reipub. detrimento et incommodo,
 aduersus Ecclesiam cōtulerunt. An non nitebatur Leo
 Isauricus sacrarum imaginum oppugnator, omnes a ve-
 ro sensu religionis abstrahere? vt repudiata Pontificis
 auctoritate, Italiae euersio, religionis vastitas, et omniū
 diuinarum et humanarum rerum fieret depopulatio?
 sed quae poena tantum scelus secuta fuit, vt huic no-
 xiae par esse videretur? Primum Gregorius II. vir plane
 mirabilis, summae audaciae Imperatorē veritati assen-
 tiri nolentem, immo vero pertinacius repugnātem, ana-
 themate obstrinxit; deinde Italiae vectigalia, quae ad
 id vsq. tempus imperio pendebantur, solui prohibuit;
 tandem totam prouinciam rerum gestarum magnitudi-
 ne insignem, ab illius obediētia et subiectione remouit.
 Cuius exemplum imitatus Gregorius III. Ludouicum
 Regem Frāciae ab imperii dignitate deposuit. Agape-
 tus Pontifex Hugoni Duci Regum suorum vexatori,
 ac tubae ciuilis incendii, interdixit sacrorum vsum, cum
 improbe Gallorum regnum aduersus Ludouicum Sim-
 plicē affectaret atq. opprimeret. Gregorius VII. Hēricū
 III. priuauit imperio; vt libertatē ecclesiae, quā ille vio-
 lare impudenter coeperat, Ecclesiastica censura vindica-
 ret. Victor quoq. Urbanus, Paschalis in eundem Henri-
 cū Ecclesiasticae disciplinae vires contulerunt, regnoq.
 iterum deturbarunt. Sic Innocentius III. Othonem ab-
 iecit; et Honorius III. Gregorius IX. Innocentius III.
 Frederico II. pacis et religionis hosti, acerrime restite-
 rūt, Romanaeq. Synodi suffragiis imperiū abrogarunt.

Omit-

Omitto huius generis multa exēpla clara et illustria,
 quae dicere et proferre possemus; quibus pleni sunt po-
 puli, plenae prouinciae, plena regna, quae saepe aucto-
 ritate Apostolica, meliores Reges, abdicatis deteriori-
 bus, acceperūt. Censebitur ne Henricus a Deo electus,
 quē sedes Apostolica, quae vicem Dei gerit in terris, vt
 Dei hostem ac fidei transgressorē, in reprobum sensum
 abiecit; vt perduellem et irae filiū a regno deturbauit; vt
 vas contumeliae ferrea virga perfregit? erit ne a Deo de-
 signatus, quem Pius V. optimus haereticorum explora-
 tor ac cognitor, a nuptiis Margaritae Henrici II. Re-
 gis filiae exclusit; cum nefas existimaret, ab haeretico
 catholicam et piam feminam duci? iudicabitur ne, Dei
 omnipotētis auctoritate cōprobatas, quē Sixtus V. im-
 mēsa aeterni Regis potentia, superbientem ac lasciuien-
 tem aduersus Ecclesiam, seueriore Dei vindicta ultus
 est, et veluti Luciferi ministrum ad infima terrae pro-
 strauit? Poterit ne amplius humano consilio, aut huma-
 nis viribus exornari atq. restitui, quem Deus spreuit ac
 repudiavit? cum *nullus* humanis artibus *possit eum corri-*
gere, quem Deus despexerit, nullus ornamentis insignire,
 aut ad pristinum statum reuocare, quem Dominus per-
 miserit in impietatē prolabi? Lugebat Samuel Saul, sed
 frustra, cum illū Dominus proiecisset a regno: *Pro eo er-*
go, ait Samuel, quod abiiecisti sermonem Domini, abiiecit te
Dominus ne sis Rex. Abiecit quoq. Dominus populum
 Israel, et abstulit eum a conspectu suo in sempiternum:
 Regnum Ieroboam omnino deleuit et extinxit, cum
 Te *impie-*

XVI.

Henricus a
 Deo electus
 non fuit, cū
 sit a sede A-
 postolica re-
 probatus,
 quae haere-
 ticos non so-
 let in regnū
 reducere.

Eccle. ca. 1.
 Et 7. Et Po-
 lychronius
 in hūc locū.

1. Reg. 16.

6. Reg. 17. impietatem sectaretur, dicente Scriptura: *Proiecit Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & iradidit eos in manu diripientium, donec proiiceret eos a facie sua.* Quod plane tum euenisse compertum est, cum labentibus saeculis et ad impietatem maxime inclinantibus, translatus fuerit Rex Israel cū omni populo in Assyrios, qui eius regnum et regionem florentissimam occuparunt. Num et Saul semel abiectus, licet id Samuel anxie postularet, restitutus fuit a Domino? aut filii eius regnum paternum et hereditarium acceperunt? aut filii Israel reuocati sunt in pristinam dignitatem? Num Zacharias, qui Heldericum ob socordiam et ignauia a Franciae regno demouerat, in regni gradū extulit? aut Pipinum virum solertem et strenuum a regno deiecit, ad cuius dignitatem Sedes Apostolica deuocauerat? Num Graeci ob perfidiam expulsi, reducti sunt in Italiam? aut Irene Imperatrix Adriano carissima, licet Rotrudis Caroli filiae nuptias ambiret, vt eam Constantino filio collocaret, in priorem locum vnde maiores sui ceciderant, fuit reposita? aut Michael Palacologus Imperator, cum catholicā Fidem Gregorio x. suscepturum polliceretur, Italiae habenas accepit? aut alii qui ob haeresim et reprobam mentem regno, iureq. successionis priuati sunt, iterum fuerunt in eandē dignitatem reducti? Stat quidem Dei sententia constans, fixa, rataq. a qua triumphator Israel qui solet imperia commutare, flecti nō potest, nec poenitentia dimoueri. Stat quoq. Pontificū voluntas, quae non ita flexibilis ac fluctuans est; vt ab ea ex quo semel rectam

Marianus
 Scot. lib. 3.
 Aimoinus
 Monachus.

Paul⁹ diac.
 lib. 21.

Cedren⁹ in
 Irene, Egin-
 hard⁹ in vi-
 ta Caroli.
 Annales Pa-
 pirii Masso-
 nis.

In historia
 Turcograe-
 cie, ex Ma-
 nuele Ma-
 laxo.
 1. Reg. 15.

rectam esse decreuerint, spe, metu, pollicitationibus, praemiis deducantur.

At fortasse aliquorum animos propensos ad causam, ficta expectatione producet Henricus, iactans se religionem et Fidem suscepturum. *Sed nunquid, ut ait Iob, vire-re potest scirpus sine humore? aut crescere carectum sine aqua? aut platae tenerae super acervum lapidum radices agent, quibus coalescant, et innitantur? aut expectandum erit ut Fides, aliaeque virtutes in corde lapideo defigantur? aut in aranei tela aedificii fundamenta consurgant? aut in corde hypocritae et impii spiritalis aedificatio extruatur? cum eius spes abominatio sit coram Domino, et Fides tanquam spiritalis anima, unde abiit nunquam redeat? Difficile enim est, ut ait S. Isidorus, principem re-gredi ad melius, si fuerit vitiis implicatus.* Nulla ergo Henrico adhibenda est fides, nulla in eo spes ponenda, cum semel ac iterum, licet a Gregorio XIII. in angustissimam formulam sponsonis inclusus, spem suae conversionis quam tunc probis viris iniecerat, omnino praeciderit; fidem, iusiurandumque quod Deo teste interpositis sacro-sanctis mysteriis publice iurauerat, neglexerit ac viola-verit, animo et cogitatione subuersus. Etenim si ex Dei amore, si ex corde puro, si ex caritate sincera, et animi instituto Fidem amplecti voluisset; cur non antequam regnum ambiret, ad ecclesiam accessit? culpas lacrymis et fletu deleuit? satisfactionem peregit? Quod si Christi et Ecclesiae, ut iactat, commodum per suam conversionem quaerit, unitatis primum et pacis concordia de-lectetur,

xvii.
Credendum non
est Henrico,
qui pollice-
tur se Fidem
suscepturum,
ut regnum
inuadat.
Iob 8.

Sentent. li. 5.
cap. 51.

Ex constit.
Sixti v.

1. Corin. 13.

1. Corin. 13.

Optat. Mi-
leuit. lib. 1.
S. Hilar. li.
contra Con-
stantium.

lectetur, expectet consensum Catholicorum, Pontificis
pareat voluntati: si quaerit sua, si saecularibus emolu-
mentis et regnum affectandi cupiditate commouetur,
cur simulat Fidem, quam nunquam vere amplexus est?
cur pollicetur religionem Catholicam, quam quotidie
laedit? cur dolos, praestigias, fallacias machinatur, qui-
bus fouet haereticos? cur caritatem iactat et ostentat,
quae plane sua non quaerit, sed quae Iesu Christi? Enim-
vero si ea mente atque consilio, quod plane iam in totius
plebis conscientiam deductum est, religionem Catho-
licam pollicetur, ut regni dignitatem assequatur; quo-
nam modo, ut ait Christus in Euangelio, credere pote-
rit, qui gloriam ab hominibus accipit? quo pacto religio-
ni parere, qui Fidem promittit ut Catholicos alliciat,
allicit ut aduletur, adulatur ut decipiat, decipit ut impe-
ret, ac regnum inuadat? Constantius Arianus, scelestis-
simus mortalium, licet Fidem amplecti videretur, auro
templa exornaret, osculo et conuiuio Sacerdotes exci-
peret, caput eorum benedictionibus submitteret, vecti-
galia Ecclesiasticis condonaret; ab Hilario Episcopo
sanctissimo tanquam Angelus Satanae, qui se in lucis
Angelum commutauerat, exploditur et reicitur; et E-
piscopi credent Henrico, cum Fidem simulet ut ex-
tinguat, pietatem mentitur, ut orbem profana conten-
tione perturbet, et in Catholicos omnes maiore crude-
litate desaciuiat? *Minus enim detrimentum accipit Ecclesia,
cum aperte impugnatur, quam cum simulate & calumniose
defenditur.* Restat ergo quod cum sua quaerat et sua de-
sideret

sideret, id est, regnum non suum inuadere cupiat; nec Fidem quaerat, nec ex religionis desiderio religionem promittat.

Vetus haereticorum consuetudo est, ut quamdiu catholicorum ope et auxilio egeant, tamdiu subdole humilitatem et religionem simulent; sed ubi optatis et expetitis potiti sunt, statim in suam impietatem reuoluantur. Haec plane ex Scripturis sacris aperte praelucet, in quibus non Politicorum figmenta et fraudes, sed veritas maiorum exemplis testata continetur. Erat Ieroboam Rex impius qui altare daemonibus construxerat, ut filios Israel a religione disiungeret. Cumq. adoleret incensum super altare, vir Dei exclamauit contra altare, *3. Reg. 13.* et ait; *Altare, altare, haec dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, & immolabit super te sacerdotes excelsorum qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. Deditq. in illa die signum dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. Cumq. audisset Rex sermonem hominis Dei quē inclamauerat cōtra altare in Bethel, extendit manū suam de altari dicens: apprehendite eum: & exaruit manus eius quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoq. scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod praedixerat vir Dei in sermone Domini. Et ait Rex ad virum Dei; deprecare faciem Domini Dei tui, *3. Reg. 13.* & ora pro me ut restituatur manus mea mihi. Orauit vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Impleta ergo cū viderit Ieroboam*

D haec

XVIII.

Haeretici

subdole Fide
de simulāt
dū sua quæ
runt, sed sta
tim ad suū
ingeniū &
perfidia re
uertuntur.

Dodechin.
in chroni-
cis.

Martinus
Polonus.

Frisingen-
sis lib. 7.
cap. 14.

Iuo Carnu-
tēsis in epi-
stolis.

Sap. 5.

haec prodigia, quae homo Dei praedixerat, et brachiū suum repente aridum factum, illico etiam per hominis Dei precem restitutum, nunquid idololatriam deseruit? aut aras euertit et dissipauit? Num religionem hominis Dei qui tanta miracula ediderat, amplexus est? aut diem festum quem tāto splendore et celebritate instituerat, sustulit? minime quidem. Sed vbi primum sanitatē obtinuit, vbi optata consecutus est, statim oblitus religionis et pietatis, non solum in eadem pertinacia praesumptionis perstitit, sed magis peccati atrocitatem auxit, dicente Scriptura: *Post verba haec non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam, & euersa est, & deleta de superficie terae.* Huius fortasse exemplo impulsī Reges scelestissimi, saepe falsa spe, Pontificū expectationem deperunt, cum illis promissis non starent, ad quae sanctissime seruanda seipso religionē obstrinxerant. Sic Henricus IV. impurissimus homo, vt coronam imperiī acciperet, de refutādo iure inuestiturarum cum Pachali II. conuenit, idque adhibitis sacramentis promisit; sed in urbem admissus, suae oblitus fidei et immemor pactiōnum, Pontificem, totumq. purpuratorum Patrum confessum, vi armata in carcerem et vincula coniecit. Sed quid aliud a Rege impio expectandum erat, cum eius spes sit veluti lanugo, et puluis qui implet oculos spectatorum vt excaecet, et sicut spuma gracilis quae a procella

cella dispergitur? Quae Regi scelesto praestanda fides,
 quam sua perfidia et impietate proiecit? et si quis illam
 semel perdidit, nō habet quo se seruet in reliquum. Sed
 multi qui humano ingenio omnia metiuntur, et sua re-
 ligioni Catholicae praeferūt, falso quidē existimant ex
 Christianae reipub. cōmodo fore, Henricū licet haere-
 ticum ad regnum admittere. Quorum rationes plum-
 beis gladiis persimiles, omnino reiicio; vnico tantum
 S. Ferrādi Diaconi Carthaginienſis, qui sub Anastasio
 Imperatore anno D. floruit, testimonio subnixus. Hic
 igitur cum Reginum Comitem hortaretur ne humana
 diuinis praeponeret, aut politiae, id est, commodorum
 temporalium causa, haereticorum partes defenderet;
 licet ii aliquam bonorum vtilitatem subditis praestitisse
 viderentur, ait: *Euenit frequenter vt aliquid fieri ne-*
cessitas cogat, quod aeterna lex prohibet. verbi gratia, ne in-
cognita proferamus exempla; si plures in exercitu fortissimo
reperiantur haeretici, infidelitatis sententiam falsam pertina-
ci animositate vindicantes, & propter hoc haereticis parcere
vel consulere Dux Catholicus suadeatur, aut nefandi erroris
praedicatoribus excercendarum licentiam tribuere blasphemiarum,
patienter ferens propter scandalum, quod pati for-
midat, licet aliquam videatur vtilitatem bonorum tempora-
lium praestitisse subiectis, sibi interim nocuit, dum de adiuto-
rio Dei minus sperasse iudicatus, interdum deteriora quam
formidat pericula tolerat, & nec in sua fide constans, exer-
cet competenter zelum religionis, nec euadit ruinam grauiissi-
mae tribulationis, quia praeposuit terrena caelestibus, & vo-
Ex praescri-
pto politi-
cae gubernationis nihil
debet fieri
diuinæ legi
contrariū.
In parænē-
tico ad Re-
ginū regu-
la 4.

D ij lunt-

luntatem creatoris offendere nullatenus dubitauit, placere volens hominibus mente corruptis. Beatus ergo eris, si pro Fide vera quam tenes, nemini blandiaris, & aduersus eam canes procedentes ex officina mendacii latrare prohibens, spem tuam ponas in illo, cuius potestati nemo resistit impune; quem si offenderis, sine causa de multitudine praesumis exercitus; si habueris propitium, neq. militem superbum, neq. violentum timebis hostem. Principaliter ergo tibi cura sit occupato militaribus actibus, ut Fides Catholica semper vincat aduersarios suos. Hanc defende inter arma & gladios, hanc persuade mentibus armatorum. Haec oro ut quisq. vestrum diligenter meditetur, ne tot iam oborta, et multorum studio atq. praeposteris consiliis excitata mala augeantur.

XIX.
Henricus cum sit alienigena & haereticus, regnum obtinere non potest.

Hieron. in Esai. cap. 2.
Deuter. 2.

Ergo ut iam ad reliquas, quas ab initio institui, nostrae disputationis causas accedam; Henricus qui Caluini pestis animorum, scelus amplectitur, et fide, subdoleq. Catholicis communicare promittit, non frater sed alienigena censendus erit, id est, Catholicae Fidei inimicus. Alienigenae enim in Scripturis dicuntur qui gentium impietatem sectabantur, quales fuere Philistaei Allophyli, qui e Cappadocia erumpentes, Heuacos ad vsq. Gazam deleuerunt. In eodem quoq. sunt numero Moabitae, Ammonitae, Idumaei, Sidonii, et huiusmodi homines a filiis Israel moribus et religione disiuncti; a quibus Nehemias vniuersum Israel segregauit, ne inter eos fieret seminis, morumq. commistio. Graue enim peccatum est, non tam mores, quam genus permiscere; cum inde facile religionis sequatur interitus. Ob quam causam

sam Sechenias filius Iehiel, vt Dei animum aduersus po-^{1. Esdr. 10.}
pulum incitatum flecteret, missionem populi separan-
dam admonuit his verbis: *Nos praeuaricati sumus in Deū
nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terrae;
nunc si est poenitentia in Israel, percutiamus foedus cum Do-
mino Deo nostro, & proiciamus vniuersas vxores, & eos qui
ex his nati sunt.* Sed quid ex huius viri consilio praecepit <sup>1. Esdrae
cap. 10.</sup>
Esdra, vt Dei misericordiā exoraret? Vos, inquit, trans-
gressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetur super
delictū Israel: & nūc date confessionē Domino Deo patrum ve-
strorum, & separamini a populis terrae, & ab vxoribus alie-
nigenis. Et respondit omnis multitudo, dixitq. voce magna,
iuxta verbum tuum ad nos sic fiat. Quid ergo cunctamini
fratres carissimi, quid timetis alienigenarum semen ex-
cludere, et eum qui alienigena est, et ab alienigenis pa-
rentibus ortus, et impia et haeretica parente educatus,
cuius etiam impietatem imbibit, a Dei populo exclude-
re, et a spe regni deicere? certum enim est ipsum alieni-
genam esse, desertorem Fidei, praeuaricatorem religio-
nis, infidelitatis scelere permixtum; cur ergo illum non
separatis e medio vestrum, non reiicitis, non explodi-
tis? An non interdum subueremini, ne ipse vos, vestrūq.
regnum euertat? an non pertimescitis ne omnia suis
erroribus inficiat atq. commaculet? *Admitte ad te alie-* <sup>Ecclesiasti.
cap. 11.</sup>
*nigenam, ait Ecclesiasticus, & subuertet te in turbine, et
alienabit te a tuis propriis.* Admittite iniquū in regnum,
et vos a pietatis sensu deducet; suscipite alienum a reli-
gione, et omnes quasi turbine ac procella vehementissi

Gregorius
Nazianze-
nus in Apo-
logetico.

Raban. lib.
3. cap. 5. in
Ecclesiast.

106 34.

Esai. 17.

Deut. 17.

ma suis erroribus inuoluet; amplectimini haereticum, et
populos turbida subuersione, amatorioq. Circes pocu-
lo in varia bestiarum genera commutabit; fouete apo-
statam, et insanis Caluini substructionū opprimet mo-
libus. Quamobrem, vt ait Rabanus Archiepiscopus
Moguntinus qui anno Domini DCCC. floruit, *non est
admittendus huiusmodi hostis ad communionem Ecclesiae,
quia periculosa est eius societas. Subuertit enim assensorem
suum in confusionem erroris, et alienum eum esse facit a Chri-
sti membris, cum participem effecerit suae peruersitatis. Re-
gnum Israel tūc omnino extinctum est, quando in He-
rodis et alienigenarum manus deuenit; et Galliae re-
gnum stabit, si illud alienigena, id est, haereticus occu-
pet? Nam si turpe est, et maiestate regia prorsus in-
dignum, hominem apostatam Regem appellari, aut
Principem impium dici, et illum qui pietatem amplecti
debuerat, impietatis verberari conuitio; nonne turpius
ac foedius erit, plantationem infidelem, germen alic-
num et impium, id est, haereticum hominem ad regni
dignitatem euehi? cum Euangelium Christi, quod non
est aliud ab Ecclesiae sensu, neglexerit, et quae sunt a sa-
cerdotibus tradita ex Dei lege contemplerit? Quid e-
nim Scriptura de Regibus iubet? Postquam autem sederit
in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in
volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leuiticae tri-
bus; et habebit secum, legetq. illud omnibus diebus vitae suae,
vt discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et
caerimonias eius quae in lege praecepta sunt. Nec eleuetur cor
eius*

*eius in superbiam super fratres suos, nec declinet in partem
 dextram vel sinistram.* Huius fortasse loci auctoritate
 commotus Ioiadas Pontifex, cum Ioas Regem inaugu-
 raret, regioque ornaret diademate, librum legis super
 Principis coronam imposuit, vt regnum legi ac sacer-
 doti subiectum ostenderet. *Produxit, inquit Scriptura,
 Ioiadas filium Regis, posuitq. super eum diadema et testimo-*
nium, feceruntq. eum Regem et vnixerunt, et plaudentes ma-
nu dixerunt, viuat Rex. Sic Iosias ex praescripto libri quē
 Helcias Sacerdos in templo repererat, legem ac praece-
 pta seruauit, excelsa sustulit, aras idolorum euertit. Sed
 quid huiusmodi custodiuit Henricus? Primum a sacer-
 dotibus Euangelicam legem non accepit, sed a Caluini
 sectatoribus, nempe a fraudulētis ministris corruptum
 Euangelium; deinde Deum timere non didicit, cum saepe
 Fidem exploserit, et Ecclesiae praecepta spreuerit;
 praeterea eleuatus est in superbiam super fratres suos;
 id est, repertus est haereticus, a Catholicis alienus, ho-
 stis ac persecutor domesticorum Dei, religionis inimi-
 cus: tum recta via non stetit, sed ad sinistram per mille
 errorum anfractus in impietatem lapsus est, vt Galliae
 Catholicum populum in Aegyptum reduceret, ad ido-
 lolatriam et haeresim subditos traheret, ad aquas caeno-
 sas bibendas impelleret; tandem excelsa non sustulit,
 cum ipse religionis libertatē et impunitatē promittat.

Merito igitur ne respub. in extremum discrimen de-
 ueniret, a Domino iussu est, ne populi alienum a fra-
 tribus suis Regem eligerent, aut qui Aegypti viam in-
 grede-

4. Reg. 11.

4. Reg. 23.

xx.

Qui in Ae-
gyptū fra-
tres reduce-
re conatur,

Rex cēsen-
dus nō erit.

Deut. 17.

Lucifer Ca-
ralitan^o li.

1. pro S. A-
thanasio.

1. Cor. 6.

Jeremi. 2.

4. Reg. 14.

Iudicum 9.

1. 2. 3. 4.

xxi.

Henric^o cō-
scientiæ li-
bertatē suo
edicto polli-
cetur.

Edictū Hen-
rici.

grederetur, Principem designarent; ne fortasse eius im-
perio coacti, aquas Aegypti sordidas ac turbidas bibe-
rent, haereses animo forberent, et cogitatione impieta-
tes haurirent. Ergo cum nollet Dominus alienigenam
fieri Principem, intulit, *ne reducat populum in Aegyptum*,
id est, ad idolorum cultum traducat, et in suam sectam
et haeresim trahat, equitatus multitudine subleuatus:
quasi diceret Scriptura, cur ambit haereticus hanc au-
toritatem in populum Dei, quam Dominus ipsi non
tradet, nec plebs tradere haeretico poterit; cum scelus
sit alienigenam seruos Dei diiudicare, et inimicum reli-
gionis domesticis Dei iura praescribere? Quid enim Ca-
tholicis cum Aegypto, ut aquam turbidā bibant? Quid
Galliae cū Henrico? quid carduo cū cedris Libani? quid
lignis cum rhamno, qui sibi imperium in omnes arbo-
res arrogabat? nisi ut egrediatur ignis de rhamno, et vni-
uersa ligna comburat: nisi ut de Gallia altera, quod ab-
sit, Anglia enascatur, quae Gepidarū inhumanitatem,
et Hūnorum impudicitiam et scelus inducat? Hoc enim
per immunitatem pollicetur Henricus, id publico edi-
cto religionis inimico sancivit, ut religionis ius et bene-
ficiū Catholici populi, quem equitum turmis Parisiis
inclusum obsidebat, simulate defendere videretur.

Quid enim aliud die XI. Augusti funesta et lugubri
edixit, quid aliud pollicitus est, quam conscientiae li-
bertatem, id est, Ecclesiae perniciem, et religionis inte-
ritum? Sed edicti tabulas in medium producamus: De-
claramus, inquit, *nos religionem Catholicam Apostolicam*
Roma-

*Romanam Parisiis conseruatu-
ros esse, a qua non patiemur
aliquid detrahi aut innouari, nisi id fuerit prius Synodo legi-
time congregata sancitum: rebus vero Fidei tunc in Synodo de-
cretis assentiemur & adhaerebimus. Ob quam causam sub
nostra protectione et tutela amplectimur Catholicam religio-
nem Romanam, et omnes tam ecclesiasticos quam saeculares
qui eam sequuntur. O fallax blandimentum haeretici,
nonne paleis aquas tegit vt submergat, foueas caespiti-
bus occultat vt in errores praecipitet, escis laqueos sup-
ponit vt omnes falsis pactionibus et conditionibus irre-
titos suffocet? Nam quid hoc monstri est: aut quod ma-
ius flagitium et impietatis genus excogitari potuit, quā
impium religionem defendere, et perfidum fidem tueri
voluisse, vt inexplicabiles fraudes ad Ecclesiam violan-
dā et expugnandā confingeret? Nam cur miser ac infe-
lix pollicetur ac promulgat Catholicā Fidē, cū in exerci-
tu Calvinistas pene insanos, vi ac contētionē in Catho-
licos furentes ac bacchantes adducat; qui publice Ca-
tholicam religionem vt putidam exagitant, et vt falla-
cem magno clamore et spectatorū plausu contēnunt?
Cur promittit conseruaturum fidem quam ipse hoc edi-
cto mentitur, et coeno oblitam et quasi rubrica delibu-
tam deformat et inquinat? sperat ne veritatem menda-
cio et inficiatione defendere; aut infirmis-
simis subsidiis et fictis pollicitationibus consequi, quae armis et diu-
turnae obsidionis metu non potuit? An non hoc mo-
roso cauillandi genere, omnia quae a maioribus accepit
Ecclesia, aperte damnantur, atq. impietatis probro re-*

E

sper-

*Lib. 4. ad
Bonifacium
cap. 12.
Athanasius
epistol. ad
Episcopos
Africae.*

*In vita B.
Fulgentii
cap. 21. ad
Felicianum
Episcop.*

*Victor vti
censis lib. 2.*

*Paulus Dia
con. lib. 18.
Cedren. in
Heraclio.*

sparguntur, si ad ea credenda nouam Synodum quasi
nouas tabulas quaerit? Nonne summae superbiae est, vt
Augustinus est auctor, velle propter vnum hominem
Orientis et Occidentis Synodum congregari; cum iam
vigilantia, et pastoralis diligentia factum fuerit compe-
tens, sufficiensq. iudicium, ad improbandas et damnan-
das Caluini haereses, quas Hēricus amplectitur? Quid
enim hoc aliud esset, quam mores superioris aetatis ar-
guere, aut Tridētinam Synodum risu et iocis illudere,
aut moras neētere, et aliud ex alio captare, vt rerum ge-
rendarum tarditate et procrastinatione tēporis, totius
Ecclesiae consensio solueretur? Trasamundus Vanda-
lorum Rex implacabilis, et ira terribilis, vt subdolis fa-
ctionibus et falsis promissionibus Catholicos alliceret,
propositis tendiculis questionum, simulabat Fidem, et
eius rationes perquirebat: Hunericus Africae terror,
Episcopos ad Synodum inuitabat, vt in eos maiori per-
secutionis furore defaeuaret: Heraclius imperator frau-
dator et inficiator religionis, cū Ecthesim, id est, impie-
tatis edictum aduersus Christum euulgasset, a Ioanne
III. Fidei sententiam rogabat; non vt edictum rescin-
deret, sed vt illum sui erroris patronum et defensorem
haberet. Sed vbi Ioannes Romae habita Synodo veri-
tatem explicasset, et ad Imperatorem transmisset, non
modo Heraclius errores abiecit, sed potius in alios ma-
iores raptus, Zenonis Imperatoris henoticō, id est, sum-
mum perfidiae dedecus aduersus Synodum Chalcedo-
nensem euulgauit, quo animos hominum ad Eutyche-
tis

tis impietatem traduceret. Haec plane sunt superioris
actatis exempla, hae daemonis technae quibus ludifica-
ri conatur Ecclesiā et falsa expectatione decipere. Hac
artes Henrici, vt Synodos vniuersales impugnet: haec
ille machinamenta commolitur, vt religionem euertere
et labefactare possit. Nam si vniuersalem Synodum ex
toto orbe collectam implorat, et ad plenarii Concilii
prouocat Fidem, nulla profecto alia praescribetur, quā
quae fuit a mille et quingentis et quod excurrit annis
sancita. Si verò a priuatis, inquinatisq. suorum ministro-
rum comitiis nouas Fidei tabulas quaerit, quod ipse
aperte profitetur, cum in suo edicto nullam de generali
Synodo mentionē faciat; falso quidem se Fidei Catho-
licae protectorem et defensorem iactat, cū his praesti-
giis et captionibus, Catholicae religionis, id est, quae si-
mili firmitate per omnes superiorum aetates ad haec
vsque nostra perstitit tempora, euerfionem et vastita-
tem inferat. Quare desinat iam inscite nugari, et Catho-
licorum abuti patientia; cum non sit tutoris, nutricii, et
protectoris munus fieri Ecclesiae euerforē. Quis enim
patronus et defensor Ecclesiae ad tēpla fugiētes neca-
uit? quis tenētes aras insecutus est? quis protraxit de al-
tario sacerdotes? quis Catholicam Fidem et religionem
amplectentem, nisi haereticus, mucrone iugulauit? quis
inuasit et demolitus est templa? quis in sacras aedes im-
misit faces, vt acerba incensione deflagrarent? Henri-
cus Catholicos insequitur, fideles necat, religiosos oc-
cidit, vrbes inuadit, templa euertit, et fingit se Ecclesiae

S. Pacianus
de nomine
Catholico.

protectorem? non erubescit, quod a Principe alienum est, magno et impudenti mendacio subditos fallere? non veretur Dei iudicium? non extimescit Dei oculum qui non fallitur? Quid faceret, si non Philippi Hispaniarum Regis vere pii, vere Catholici, vere Catholicorum Galliae protectoris, vires et arma sentiret? nonne maiora auderet, et insuper nova scelera sceleribus cumlaret, nova crimina adiungeret, nouam tyrannidem?

XXII.
Exēplo Pa-
risiēsiū om-
nes ad pie-
tatē & ca-
tholicam Fi-
demhorta-
tur.

Quamobrē, fratres carissimi, videte vocationem vestram, videte inquam ne insipientis hominis errore ducti, ac minis et terroribus impulsī, aut praemiorum spe allecī excidatis a propria virtutis et Fidei firmitate. Videte ne operibus malignis communicetis, et Henrico haeretico, fideiq. defertori, qui ad vestri regni perniciē dolos commolitur, fidem adhibeatis: neue eum in Regem admittatis, cui iure regnum deferri non potest. Videte vos in eam muneris magnitudinem vocatos, tanquam normam virtutum, morū exemplar, fidei columnam, lumen Ecclesiae esse praepositos: vt precibus veniam de caelo deprecari, oppressos tueri, cum Fidei hostibus dimicare, malis Principibus obuiā ire, haereticis Regibus terrorem ac metum incutere, labores denique, asperitates, angustias patientissime perferre possitis. Videte agonem atq. certamen, cogitate gloriam comitum vestrorum, immota atq. inconcussa fide, stabilium Parisiensium; quos vere gaudium, vere Ecclesiae coronam, veras rosas, verosq. flores de deliciis paradisi collectos appellem: qui quotidie spectaculum Deo et hominibus

nibus exhibuerunt, famem vicerunt, sitim spreuerunt, obsidionis incommoda roboris virtute superarunt. O quantus in illis animus, quam sublime et capax pectus, ubi tanta et talia pro Fidei veritate voluebatur. O quanta Hérico Caietano Cardinali Illustrissimo proposita sunt a Deo praemia, cum verus Euangelii praeco, verus confessor extiterit, ut sua virtute populum obsessum et oppugnatum vehemētissime, ad Dei timorem et Fidei constantiam promoueret. Videte, quod vereor, ne ex vestra negligētia, si fortasse, quod absit, Henricum admittitis, maximum inde malū in vniuersum orbem effundatur, et nubes trucidis et cruēti belli ab Oriente confurgat, et tonans, fulminansq. a Septentrione procella excitetur, quae omnia magno cruoris imbre commaculet. Quod ne fiat, obsecremus ex animo Deum, fratres dilectissimi, *ut ipse qui pacis est auctor, & eduxit de mortuis pastorem magnum in sanguine testamenti aeterni Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis eius voluntatem, quam ipse sua lege praescripsit, faciens in vobis quod placeat coram se per Iesum Christum, cui est gloria in saecula saeculorum. Amen.* Opto vos, fratres carissimi, semper bene in Domino valere. Valentiae ex aedibus nostris IV. kalend. Decembr. M D XC.

Ad Hebr.
ultimo.



Pripoll-60-d-6ay

EX auctoritate et commissione Illustrissimi et Reuerendiss. D. D. Ioannis de Ribera Patriarchae Antiocheni, et Archiepiscopi Valentini, legi Reuerendissimi Episcopi Vestani Paracnesim ad Episcopos et presbyteros regni Francorum; et attestor nihil in ea esse Fidei catholicae aduersum, sed quae lucem propugnatoribus Fidei afferre possint maximā. Quocirca dignissimam iudico quae in lucem prodeat et typis excudatur. Valentiae Prid. Calen. Decemb. M D X C.

Barthol. Iosephus Paschalius Theol. Doct.
ecclesiae Valentinae Praepositus.



V A L E N T I A E

Ex typographia Philippi Mey.

M D X C.

